

tiâ perturbetur; quòd si quid detrimenti patiantur res humani generis ex aliorum flagitiis, aut è causis quæ vires humanas superent, hoc illi non eripiet mentis suæ tranquillitatẽ; partim quia hæc novit extra suam potestatem collocari, partim quia mutabilitatis cui omnia subjiciuntur, probè confcius talia multa indies eventura præsentit & expectat; præsertim verò quia tot seculorum experienciã certissimum est, innumeras rerum humanarum vicissitudines totius universi statum meliorem potiùs quàm deteriore nobis reliquisse, unde spes justa nascitur vix fieri posse ut posteris res aliter succedat.

CAPIT IX.

Confectaria.

§. I.

DEductis tandem è Natura præceptis circa mores generalissimis, & virtutibus Morali- bus inde sigillatim explicatis, visum est paucis indicare, quomodo hæc quæ tradidi præcepta generalia ad alia magis limitata, & vulgò magis usitata nos deducant: hinc enim probabitur etiam specialia illa à Deo per signa naturalia mentibus humanis simul imprimi, eaque iisdem præmiis & pœnis sanciri: hoc autem ostendemus considerando breviter Decalogum & leges Civiles.

Decalogus in duas solet dividi tabulas, quarum prior præcepta continet de moribus vobis erga Deum, posterior de iisdem erga homines tractat: utraque impletur Amore in Deum,
ho-